



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Novæ Observationes Et Additiones Ad A. R. P. D. Bartholomæi Gavanti Congreg. Cleric. Regul. S. Pauli ac Sac. Rit. Congregat. Consultoris Commentaria In Rubricas Missalis Et Breviarii Romani

Adjectis Summorum Pontificum & Sac. Rit. Congreg. Decretis usque ad
præsens emanatis

Complectens III. & IV. Partem Commentariorum Gavanti in Rubricas
Missalis

Merati, Gaetano Maria

Augustæ Vindellicorum, 1740

VD18 10783695-002

De Festis, in quibus cantandæ sunt duæ Missæ in Collegiatis. XV.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39964

Novæ Observationes, & Additiones ad Gavanti
Tit. XV. De Festis, in quibus cantandæ sunt duæ Missæ in Ecclesiis
Cathedralibus & Collegiatis.

I. Gav. n. 1, pag. 221. col. 2. n. 1. *Et susius hac de re nos egimus in 2. parte tit. 11. &c.*) Nos quoque, Gavanti vestigiis insistendo, susè pariter egimus de hac materia Missarum Conventualium, in nostris novis Additionibus, & Observationibus ad eundem tit. 11. n. 4. & sequentibus.

II. Gavant. pag. 222. col. 1. n. 3. *Non occurrit casus, &c.*) Mense Decembri ad agenda quoque est dies Octava Immaculatæ Conceptionis B. M. semper Virginis, quando ea incidit in Feriam 4. Temporum. Item cantantur duæ Missæ in Festo S. Eusebii Episcopi, & Martyris, si incidat in aliquam Feriam pariter 4. Temporum. Tandem cantantur duæ Missæ in Festo Expectationis B. M. V. (in toto tamen tantum Statu Ecclesiastico, & in aliis Regnis, & Provinciis, in quibus concessum est prædictum Officium) si occurrat in Feriis supradictis 4. Temporum.

III. Gavant. eodem n. 3. *in sequenti verò Februario.*) In Mense pariter Februario contingere potest casus (si incidat in eundem Mensem initium Quadragesimæ) in Festo S. Andreæ Corsini, si transferatur, ut accidit, quando prædictum Festum occurrit in Feria IV. Cinerum. Item in Festis S. Johannis de Matha, & Sanctæ Scholasticæ.

IV. Gavant. pag. 222. col. 1. num. 4. *In Festis SS. Cosmivi, Thomæ Aquinatis, &c.*) Item in Festo S. Johannis de Deo, Sancti Patricii. Et in Festo septem Dolorum B. M. V. si occurrat in Mense Martii.

V. Gav. pag. 222. col. 1. n. 6. *In Aprilis*) In Festo S. Isidori, si celebretur in Quadragesima, & etiam in Festo S. Vincentii Ferrerii, si celebretur ut supra, & demum in Festo septem Dolorum B. M. V. si celebretur pariter in Mense Aprilis.

VI. Gavant. pag. 222. col. 2. n. 11. *Men-*

se Julio -- Vel transfertur Festum S. Apollinaris in Feriam secundam.) Cum Festum S. Apollinaris sit Duplex, si incidat in Dominicam, non transfertur in Feriam secundam, & ideo, cum prædictus casus non amplius occurrat in Ecclesia universali, cessat obligatio prædicta cantandi duas Missas.

VII. Gavant. pag. 223. col. 1. num. 14. *Vigilia S. Bartholomæi.*) Item ubi Festum S. Bartholomæi Apostoli celebratur die 24. Augusti, occurrit casus cantandi duas Missas in Vigilia S. ejusdem Apostoli, hoc est, una de S. Philippo Benicio, alia de Vigilia, sicut idem accidit, ubi celebratur die 25. Augusti, quando anticipatur Vigilia Sancti Bartholomæi in Sabbato.

VIII. Gav. pag. 223. col. 1. n. 16. *Et S. Lini occurrere possunt, &c.*) Item occurrere potest in supradictis quatuor Temporibus Festum S. Thomæ de Villanova, in quo etiam cantari deberent duæ Missæ.

IX. Gav. p. 223. col. 1. n. 17. *Secunda Oratio Accurrit, &c.*) In Missa cantata de SS. Eustachio, & Sociis, nulla nunc fit commemoratio, nec alia dicenda Oratio, quia prædictum Festum est Duplex.

X. Gavant. pag. 223. col. 1. n. 18. *In Novembri due Missæ cantantur in die Commemorationis, &c.* Quoniam Gavant. hoc loco agit de Missa sollempni, & de aliis Missis privatis, nec non de Absolutione sollempni Defunctorum, quæ solent dici, & fieri in die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum, ideo nos nostri Auctoris vestigia sectando, etiam nos hoc loco de iisdem agemus, præsertim subnectendo recentia Decreta, quæ pertinent ad prædictas functiones dictæ diei proprias.

Ad Missam igitur sollempnem Defunctorum cantandam prædicta die, verissimum est,

est, quod non debet cantari, nisi post Nonam, seu post Vigiliis Mortuorum, & nullo modo post Primam; adest enim expressum Decretum editum à S. R. C. die 22. Januarii 1701. in una Camaldulensium ad secundum dubium, in quo declaratur, quod in die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum non potest celebrari Missa sollempnis de Requiem post Primam, sed servanda sunt Rubricæ, & datur tale Decretum in nostro Indice sub n. 549.

Ortum est dubium, utrum occurrere in aliqua Diocesi, vel Ecclesia, aliquo Festo Duplici die tertia Novembris, in qua juxta Rubricas fieri debet Commemoratio omnium Fidelium Defunctorum, quando dies secunda dicti Mensis incidit in Dominica; ortum, inquam, est dubium, utrum in dicto casu debeat transferri Festum illud Duplex ad aliam diem non impeditam currentis Octavæ omnium Sanctorum; an vero, non obstante Officio Commemorationis omnium Defunctorum, sit recitandum Officium de prædicto Festo Duplici, & præter Missas privatas de Requiem cum una sollempni celebrandas pro omnibus Fidelibus Defunctis, dicenda sit de tali Festo tunc una Missa tantum? S. R. C. sub die 5. Octobris 1686. declaravit, quod in die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum, si alicubi occurrat Officium Duplex minus, Missæ sunt celebrandæ de Requiem, quod Decretum datur in nostro Indice sub n. 488. Ita etiam eadem S. C. statuit, in tali casu faciendum esse Officium de Duplici, sed Missas celebrandas esse de Requiem, ita die 19. Junii 1700. in Cuien. & hoc Decretum datur in nostro Indice sub n. 543. quoniam verò sub die 11. Julii 1716. in una Oeniponti, Patribas Societatis respondit, in tali casu transferendum esse Officium S. Pirminii (quod sub Ritu Duplici celebratur ibidem in eorum Ecclesia) in aliam diem, quando occurrit simul cum Commemoratione omnium Fidelium Defunctorum, opinabar in meis

Observationibus primæ partis tit. 5. per hoc ultimum Decretum datum in nostro Indice sub num. 631. derogatum fuisse duobus antedictis Decretis.

Verum quia, postquam prædicta folia fuerunt prælo subjecta, sequens emanavit Decretum -- Annua Commemoratio omnium Defunctorum alicujus Ordinis, seu Congregationis non est transferenda, si in illa die occurrat Festum Duplex minus etiam translatum; sed fiet Officium de Duplici, cum sola Missa sollempni post Tertiam: Officium verò Defunctorum recitandum erit post Laudes sub Ritu Duplici, & omnes Missæ privatae dicentur pro Defunctis in paramentis nigris -- S. R. C. 5. Maji 1736. & datum in nostro Indice sub n. 683. Quoniam, inquam, emanavit hoc Decretum, magis magisque confirmantur duo priora Decreta mox à nobis allata; unde dicendum est, quod illud tertio loco allegatum in una Oeniponti pro PP. Societatis Jesu, non derogat prædictis duobus Decretis generalibus, sed sit particulare, & municipale pro earumdem PP. Ecclesia ejusdem Civitatis Oeniponti, in qua Ecclesia, cum asserentur insignes, imò potiores reliquiæ S. Pirminii, cujus Officium celebratur ab eisdem sub Ritu Duplici, S. C. congruum censuit, in supra proposita occurrentia talis Festi cum Commemoratione omnium Defunctorum, esse transferendum Festum dicti Sancti, ut eo die possint celebrari omnes Missæ privatae de eodem Sancto Pirminio.

Aliud extat dubium, in quo quaesitum fuit à S. C. an in die Commemorationis omnium Defunctorum, in qua quotannis occurrit dies Octava Dedicacionis Ecclesiæ, sint Missæ privatae celebrandæ de Defunctis, vel de Octava? & responsum fuit à S. C. die 27. Septemb. 1698. Missas privatas dicendas esse de Mortuis, & concedendas esse duas Missas Conventuales, unam scilicet de Octava, & alteram de Mortuis, juxta Rubricas. Quando verò dies Octavæ incidat in Dominicam, omnes Missas celebrandas esse de Octava;

edem Commemoratio omnium Fidelium Defunctorum transferatur in diem sequentem; quod Decretum datur in nostro Indice sub n. 536. & conciliari potest cum supra extenso alio Decreto, quia in hoc secundo agitur de Festo Duplici, quod non potest transferri, nempe de die Octava Dedicationis Ecclesie, in superiori verò Decreto dubium versabatur circa Festum Duplex transversibile.

Pro prædicta die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum facit etiam subsequens Decretum, nimirum: Si aliquis obierit in die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum, ultra Missam de Communi Defunctorum, celebranda erit alia Missa, ut in die obitus præsentis Corpore; ita declaravit S. R. C. 14. Aprilis 1646. & datur in nostro Indice sub n. 291.

XI. Gavant. pag. 223. col. 2. eodem n. 18. *Sacrificium Missæ Defunctorum hac die applicandum esse omnibus Defunctis, &c.* S. R. C. die 4. Augusti 1663. in una Dalmatarum declaravit, quod in die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum Sacrificia possunt à Sacerdotibus applicari ad libitum, sc. vel pro omnibus Fidelibus Defunctis, vel pro aliquibus tantum; & datur tale Decretum in nostro Indice sub n. 411. Quapropter non subsistit nostri Auctoris sententia, quod Sacrificium Missæ in die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum debeat ex intentione Ecclesie applicari pro omnibus Defunctis.

Nemini licet facere Octavas pro Defunctis sine speciali indulto Sedis Apostolicæ, neque intuitu alicujus Altaris privilegiati in aliqua Ecclesia licet exponere Tabellam super januam ipsius Ecclesie cum inscriptione: *In-*

dulgenza per li Morti: sed tantum super ipso Altari privilegiato consuets verbis: Altari privilegiatum pro Defunctis. S. R. C. 13. Augusti 1667. in Romana Commemoratione Defunctorum, &c. & datur in nostro Indice sub n. 431.

XII. Gav. pag. 223. col. 2. n. 19. *In Absolutione sollemni Defunctorum, &c.* Post Missam sollemnem Defunctorum in die Commemorationis omnium Fidelium, prædicta debet fieri Absolutio ad Tumulum; de qua, & de cujus Ritibus servandis fusè loquuti sumus cum Gavant. ad tit. 13. part. 2. n. 19. quapropter hic nihil addendum est nisi sequentia Decreta.

In die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum, post Absolutionem, quæ fit ad Tumulum, non additur: *Anime omnium Fidelium Defunctorum per misericordiam Dei requiescant in pace, &c.* ita S. R. C. die 2. Decembris 1684. & datur in nostro Indice sub n. 477.

In Absolutione in die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum non est dicenda tota conclusio in Oratione. S. R. C. 5. Julii 1698. & datur in nostro Indice sub n. 522.

XIII. Gavant. pag. 223. col. 2. n. 12. *Ubi celebratur Festum S. Rosarii.* Prædictum Festum ubique modò celebratur de præcepto, ex Decreto Clementis XI. die 3. Octobris 1716. & dabitur in nostro Indice Decretorum spectantium ad Rubricas Breviarii; Missa verò dicitur, ut in Festo ad Nives, cum Oratione, Secreta, & Postcommunione propriis, ex Decreto R. R. C. die 10. Martii 1725. approbante Benedicto XII. sub die 26. ejusdem Mensis & Anni.

Tit. XVI. De Rubricis Missarum communis Sanctorum, caret novis Observ. & Additionibus.

Novæ Observationes, & Additiones ad Gavanti

Tit. XVII. De Rubricis Missarum votivarum in fine Missalis.

I. Gavant. pag. 226. col. 1. n. 5. *Missarum votivarum de Trinitate, &c.* Quia fuso galamo differimus de Missis Votivis, & omnia ad easpectantia colligimus in nostris Additionibus